

Et hoc dico propter quosdam de magistris meis, a quibus olim audiui hunc librum, qui dixerunt quod diceretur Johannes de Sacro busto, id est de sacro sepulchro, quod ficticium est. Unde iste venerabilis doctor
 145 collegit hunc librum ex introductorio ipsius Thebit et ex introductorio Alfragani de circulis, qui incipit: Nos secundum istam ymaginationem ymaginantes etc.¹⁵⁾, et ex libris Ptolomey et est clarior multis aliis ysagogis astrologie. Causa materialis sive subiectum huius libri ponitur a quibusdam corpus celeste sive spera celestis; alii vero dicunt totum
 150 universum hic esse subiectum, sed de hoc patebit in questionibus¹⁶⁾. Causa finalis istius libri est, ut ipso perlecto faciliorem aditum habeamus ad scienciam astrologie. Causa formalis libri consistit in diffinitione, divisione, probacione et improbacione, sicut patebit; quoad formam agendi quam habuit auctor et formam libri, consistit in formacione capitulorum et parcium eius, sicut processus libri docebit.
 155

Anhang II

[Konrad von Megenberg?] Vorwort zur Expositio super speram (München, Bayerische Staatsbibliothek, lat. 14687, fol. 1^v—2^{va})

Sapiens promovet opus stellarum quemadmodum seminator fortitudines naturales, Ptholomeus in Centiloquio vel in Centilogio quasi diceret¹⁾: Sicut seminator vel a) agricola poterit promovere segetes et dispromovere eas secundum qualitates terre et agrorum, sic sapiens poterit promovere hec
 5 inferiora respectu virtutum in astris et dispromovere eas respectu earundem virtutum celi. Racio similitudinis huius est ista: quia sicut prudens agricola potest amovere nociva segetibus, scilicet ex(s)tirpando tribulos et spinas et in faciendo foveas, quibus excurrant aque superflue segetes suffocantes, similiter in amministrando rivulos fontaneos ad mitigandum nimiam
 10 ariditatem terre, qua perirent segetes, et universaliter modis utilibus providendo, sic vir sapiens et peritus in cursibus et virtutibus astrorum poterit

a) eingefügt Hs.

¹⁵⁾ Wohl „Liber Thebit de recta imaginatione spere et circulorum eius“, Inc.: *Nos iuxta rectam imaginationem inchoantes astrologiam intelligamus...*, ed. F. J. Carmody, *The Astronomical Works of Thabit b. Qurra* (1960) S. 140—143; zu Alfraganus vgl. Text-Anm. 34.

¹⁶⁾ Qu. I: *utrum totum universum sit subiectum in ipso*, clm 14687, fol. 72^{rb}.

¹⁾ Ptholomaei Centiloquium, Verbum octavum, gedr. Venedig (Bonetus Locatellus) 1493, fol. 107^v (leicht abweichend); zitiert (in anderer Übersetzung) auch im „Speculum astronomiae“ des Albertus Magnus (?), gedr. in dessen *Opera omnia*, ed. A. B o r g n e t, Bd. 10 (1891) S. 616.